

nium, Judæ æstimantur participes, qui Christum A fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii faciat quod poterit facere.

XXX. Illud etiam attendendum fuit, ut intra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cuius

Explic t Regula sancti Macarii.

EPISTOLA BEATI MACARII

Data ad monachos.

Lignorum copia ingentem excitat flamمام : multitudine autem escarum emittit concupiscentiam. Pesima concupiscentia escarum et inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigiliam præstat, et coronam animæ acquirit; repletus autem, somnum inducit gravissimum. Oculus gulosi convivia scrutatur, oculus autem sapientum meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam, quæ bellum significat, et gulosus si abstinentiam prædicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cum marcescit, elucescit iterum si acceperit lignum; et libido sopita rursum crescit in saturitate. Non miserearis corpori, si lassitudine defecerit: equus consentiens indigens corpus nec ascensorem dejicit unquam. Concupiscentia gulæ mater est libidinis. Oleum nutrit lampada lucernæ, et ignem reaccedit confabulatio mulieris. Facies mulieris sagitta est truculenta; infligit vulnus in animam. Ut venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris: absconsum nōmque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis apportiona igni ardentí quam mulieri novellæ. Cum sis juvenis, fuge impetum libidinis et confabulationem mulieris. Qui repleverunt ventrem, et promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriverit, etiam ipsam mentem contempnere persuadet. Ut enim si paleis remoretur ignis, excitat flamمام, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Ut enim cumulata navis undarum ictu obrutur, sic multa possidens monachus non salvabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis: nihil possidens monachus cursor levis, velociter ad bravum vocationis pervenit. Avarus monachus operari ne-

gligit: nihil possidens monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Avarus monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis: nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo, et dabit laudem cum angelis Deo. Gloratio monachi, patientia in tribulationibus ejus. Gloratio monachi, longanimitas cum charitate. Gloratio monachi nullas, res præsentis vitæ possidere. Gloratio monachi, vigilæ et fletus in orationibus. Gloratio monachi, mansuetudo et cordis silentium. Gloratio monachi, quando Dominum ex toto corde dilexerit, et proximum suum tanquam seipsum. Gloratio monachi, abstinentia escarum et a multiloquio linguae. Gloratio monachi, quando proximum suum sicut seipsum patitur. Gloratio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloratio monachi, quando in loco suo permanet, et hue illucque non vagatur. Gloratio monachi, longanimitas. Sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians, sic monachus mente sobria et corde pervigili in tempore salutis suæ. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinæ et tribuli agro opimo, sic et cogitationes turpes pessimæ in corde monachi. Sicut tinea exterminat vestimentum, sic distractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne flas separatus a regno Dei, et ne velis dicere: Loquar cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens suis manibus operatur, et victimum sibi quotidianum acquirit, et lucratus est orationes et jejunia sua; si autem ab alio acceperit victimum, quid prodest quod oral et vigilat? Sicut mercenarius malus, nudus evadit; quia scriptum est: melius est dare quam accipere (Act. xx). Qui legis, intellige in Domino semper.

Explicit epistola beati Macarii.

SANCTI PACHOMII

ABBATIS TABENNENSIS

REGULA AD MONACHOS, PRÆCEPTA, EPISTOLE.

(Vide hujusce Patrologiae tomum XXIII, col. 65.)

SANCTI ORSIESII

ABBATIS TABENNENSIS

DOCTRINA DE INSTITUTIONE MONACHORUM.

DE S. ORSIESIO EJUSQUE REGULA SIVE DOCTRINA MONASTICA VETERUM TESTIMONIA.

Auctor Vitæ S. Pachomii, cap. 53.

Petronius paucis diebus totam fraternitatem gubernans et hic in pace defunctus est, relinquens post se virum justum et acceptum Deo Orsiesium nomine.